



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VIII. Idem Priori a S. Fridtani, & Magistro B. Canonico Pisano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

statum laicalem redigebatur, ut ita poenitentiae collum subderet. Concilium Neocaesar. *can. 1. Tolet. 4. can. 44.* ibi: *Oportet canonibus in tali scelere proditum à clericatus ordine submoveri, & poenitentia triennio deputari.* Epau. *can. 21.* *Si presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur.* Cabilon. *can. 30.* *Ut gradu amisso agenda poenitentiae gratia in monasterio, &c.* Agathense *can. 50.* *Ab officii honore depositi in monasterium retrudantur, & ibi tantummodo quamdiu vixerint, laicam communionem accipiant.* Notavi in *cap. clerici 4. de excess. Pralat. Concil. Tolet. 4. can. 43.* Subservit huic observatiunculae ex arcanis juris civilis venustum militiae armatae exemplar; quippe cum milites torqueri ob militiae dignitatem non valerent, *l. 3. §. 2. ff. de re milit. l. militis, Cod. de questio. docetur in l. 7. ff. de re milit.* quod proditores milites, aut transfugae exauthoritati

torquentur. Planè quod Modestinus inquit, cum qui ad hostes confugit, & redit, torqueri ad bestiasque damnari, vel ad furcam, quamvis milites nihil eorum patiantur, *l. 3. §. is qui ad hostem 10. ff. de re milit.* sic equi dem esse temporandum existimo, ut qui ad hostem confugit, & redit, si miles erat, nec torqueri, nec ad bestias, nec ad furcam damnari possit, juxta legem *2. ff. de re milit.* nisi exauthoratione praecedente, ad ordinem paganorum redactus fuisset. Proinde apud Ammian. Marcel. Lampadius Praefectus falsi insinulatus, prius quam torqueretur, dignitate privatus fuit. *Fallaciarum* (ait Ammianus Marcel. *lib. 15.*) *nube discussa, Imperator doctus relatione fidelis, abrogata potestate Praefecti, Lampadium statui sub quaestione praecipit.*

d *Arctis monasteriis.*) De qua poena detractionis in monasterium egi in *cap. 1. de regul.*

## CAPVT VII.

Abb. & a Fratrib. Cryptae Ferratae.

Constitutus in praesentia nostra. *Et infra:* Licet autem in instrumento Episcopi Lavitani expressa fuerit certa poena, quam pars contractum non servans, solveret observanti: cum tamen utraque pars venisse contra illum, ex confessione propriae convincatur, cum & pars vestra subtraxerit Episcopo pensionem, & Episcopus procuracionem exegerit ab eadem Ecclesia, sicut oconomus proposuit memoratus, utramque partem ab ea reddimus absolutam.

## NOTÆ.

1. **A**bbati & fratribus. Ita etiam legitur in *cap. constitutus, de religiosis domibus*, ubi extat alia pars hujus textus, & ibi praesentem inscriptionem exposui.

## COMMENTARIUM

2. **C**um praesens rubrica generaliter concipiatur de poenis, non solum sub ea agitur de poenis delictorum, verum & de poenis conventionalibus consensu partium statutis, de quibus in praesenti textu, & in *cap. suam, infra.* Est autem poena conventionalis, promissio confirmans praecedentem obligationem, aut causam, & ad ejus implementum reum impellens, sub comminatione praestandi aliquid certum: & talis obligatio tendit ad confirmandam priorem, ut docent Cujac. in *l. si ita 97.* Donellus in *l. si homo 69. num. 5. ff. de V. O.* nec requirit priorem obligationem, sed causam, veluti si dixerit stipulator: Si domum non fabricaveris, centum dabis. Quia fabricatio domus tunc non est in obligatione, cum promissa non sit, sed in causa. Unde promissor liberatur domum fabricando, quia est causa debendi; sed peti ipsa fabricatio non potest, *l. si penum 24. ff. quando dies legati cadat, l. obligationum 24. §. ita, ff. de V. O.* Unde cognoscitur, poenam de qua in praesenti textu, adje-

ctam fuisse ad firmandam transactionem inter Episcopum Lavitanum, & monasterium inquam, de qua in *dict. cap. constitutus.* Et ita non caute, sed conventioni poena accessit. Etiam sciendum est, poenas conventionales quocumque eventu esse solvendas, licet nulla culpa possit imputari promissoribus quia non tantum promiserunt diligentiam, sed praestationem, seu factum, *l. si rajechie 9. ff. de nautico fenore, l. ad diem 77. l. stipulatio 38. §. si quis, ff. de V. O. l. qui autem 14. §. sed si quis, ff. de constit. pecunia, l. sancimus 26. C. de fidejuss. docent in dicta l. 38. Alciatus num. 31. Cujacius, Duarenus, Donellus, & Giphanius: Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 26. num. 6. Pichardus in §. si quis alium, num. 31. Instit. de inutil. Grotius de jure belli lib. 2. cap. 15. num. 16. Fachineus lib. 3. contror. cap. 10. & si ambo ex contrahentibus poenam promiserint, & factum promissum non adimpleverint, uterque ad poenam manet obligatus: sed quia paria delicta quoad poenam privatam mutua compensatione tolluntur, *l. viro, ff. solut. matrim.* probavi in *cap. final. de adult.* ideo hoc casu poena compensationi locus est, *l. si ambo, ff. de compens.* Unde rectè in praesenti specie Innocentius decrevit, quod cum tam Episcopus, quam monachi promissum non adimpleverint, poenam ex utraque parte commissam esse, & sic neutrum ex eis poenam petere posse.*

## CAPVT VIII.

Idem Priori a S. Fridiani, & Magistro B. Canonico Pisano.

Super his, de quibus nos consulere voluistis. *Et infra:* Clericus autem, qui pro eo, quod varia verat coram vobis, de mandato nostro captus est, & detentus, infamiam non incurrit.

## NOTÆ.

## NOTÆ.

testem vacillantem carceri mancipatum pro erudenda veritate, non ideo infamiam incurere; quia cum sententia non præcesserit, quâ falsus ipse declaratur, non potest notari infamia, quia infamiam irrogat sententia, non factum, l. nullam, Cod. quibus ex caus. infamia.

<sup>a</sup> *Sancti Fridiani.* ) Præsentem inscriptionem exposui, & integram decretalem dedi in cap. super his, de accusat. ubi extat principalis pars huius decretalis, in præsentem enim tantum docetur,

## CAPVT IX.

Idem <sup>a</sup> *Spoletano Episcopo.*

SVam ad nos Rectores clericorum sancti Fortunati querimoniam transmiserunt, quod cum tibi essent in XL. libris per quoddam arbitrium condemnati, essetque pœna XXX. librarum adposita, nisi ea solverent in termino constituto, tandem XXXIII. libris in termino per solutis, occasione septem residuarum per quasdam nostras literas veritate tacitâ impetratas obtinuisti eos in præfatis XXX. libris tibi per delegatum iudicem condemnari. Quia igitur te non decet in tantum Pontificæ modestiæ oblivisci, ut inhonestis quæstibus anhelando desideres cum alienâ jactura ditari; mandamus quatenus septem librarum solutione contentus, supra pœna XXX. librarum memoratos Rectores de cætero non molestes.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Spoletano.* Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. ne clericis vel monachis; id est Benedicto, qui ab ipso Innocentio III. creatus fuit Episcopus Spoletanus anno 1198. De Spolet. dicecesi egi in cap. 2. de condit. appof.

## COMMENTARIUM.

Difficilis valde visa est præfata Innocentii decisio utriusque juris Interpretibus, ex eo quia certum est, pœnam conventionalem esse solvendam à reo integrè non adimplente promissionem veluti si quis ita stipuletur: Si fundum Scianum non dederis, centum dare spondes: Quo casu ut pœna evitetur, necesse est solidum fundum Scianum dare, neque sufficit partem datam fuisse, ut pœna in solidum non committatur, l. heredes 25. §. idem 13. ff. famil. ercisc. l. stipulationum 5. §. ult. l. si pro parte 85. §. si ita 6. ff. de V. O. Caballin. de individ. 3. part. ex num. 25. & 286. Valentin. de arvidis, cap. 6. ex num. 15. Chesius lib. 1. interpret. cap. 5. num. 107. Madera animad. cap. 30. per totum quæ individuitas non provenit ex natura rei in obligationem deducta, quæ reverà dividua est, cum sit fundus: sed quia aliud sine captione creditoris non possit introduci, dict. l. stipulationes, §. ult. quia verum est fundum datum non esse, cum solidum non sit; ideo quamvis si plures hæredes uni successerint, unusquisque in solidum non teneatur, sed pro parte hæreditaria tantum ad præstationem fundi in stipulationem deducti, tamen ad hoc ut pœna evitetur, non sufficit pro portione hæreditaria satisfacere, immò quocunque cessante in solutione partis committitur pœna integra contra omnes, l. in executione 85. §. quod si stipulatus, ff. de V. O. l. heredes 25. §. idem juris, ff. famil. ercisc. l. si servus 9. §. si plurium, ff. si quis cautionibus. Pœnalis enim stipulatio facit obligationem dandi individuum, cum nisi integrè res, vel quantitas præstetur conditio stipulationis non existat, sive in promissore, sive in hæredibus ejus id contigerit, nec enim ex persona hæredum potest conditio stipulationis immutari. l. 2. §. 1. ff. hoc tit. Et cum stipulatio pœnalis per conditionem, vel

conditionis formam interponatur, & committatur, individuum causam continet, l. cui fundus 56. ff. de condit. & demonstr. Facit etiam quod docetur in dict. l. pro parte, §. item si ita, ubi proponitur casus pignoratitiæ obligationis, sive ejus debiti, quod sub pignore debetur: cuius ea natura est, ut pignus non prius liberetur, quam tota pecunia debita sit soluta, unde si unus hæredum partem debiti solveret pro hæreditaria portione, pignus non potest liberare pro parte non magis quam si debitor ipse partem debiti voluerit solvere, quia nec si volente creditore solvisset, pignus liberasset, nisi tota quantitas soluta, l. si necessarius 8. §. si unus 2. l. solutum 11. §. si creditori 4. ff. de pignorat. act. l. heredes 25. §. idem observatur 14. ff. famil. ercisc. l. hæreditate 22. ff. de hæreditate vel actione, l. qui pignore 19. ff. de pignor. l. arbitri 11. l. ult. ff. de distract. pig. l. quamdiu 6. l. si unus 16. Cod. eod. tit. l. rem hæreditariam 65. ff. de evict. l. 1. C. de lutione pignoris, l. 1. & 2. Cod. si unus ex pluribus. Ratio hujus principii provenit ex voluntate contrahentium, quia qui promittit pecuniam certo die dare, & nisi dedit, pœnam, totam summam dare promittit. Pœnalisque obligatio conditionalis est, vel instar conditionalis in casu non dationis. Atque verum est, totam summam datam non esse, quamvis pars detur: ergo nisi in totum principali obligationi satisfactum sit, non evitatur pœna, argumento ex lege cui fundus 56. ff. de condit. & demonstr. quod procedit quando pœna ut talis consideratur, id est quando est punitio moræ, & negligentia debitoris: aliquando tamen pœna non in punitivam promittitur, sed propter majorem cautionem, & faciliorem expeditionem obligationis: quo casu pœna succedit loco interestis, & ut illud taxatur, Gomez lib. 2. var. cap. 10. num. 23. Donellius lib. 15. comment. cap. 3. cum aliis, Carleval. 2. tom. de judic. tit. 3. disp. 3. num. 26. Igitur cum in præfenti casu plenè satisfactum non fuisset Spoletano Episcopo, rectè pœnam sibi promissam à Plebano, & clericis petebat. Cui difficultati ut satisfaciant Interpretes, varia adduxerunt. Bartolus in l. 4. §. Cato, ff. de V. O. agnovit discrimen in hac parte, inter jus civile, & canonicum, ita ut jure canonico attento partialis solutio pro parte eximat à pœnâ. Alij docuerunt jure canonico similem